

7.

DISSE^TRAT^O INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS
NONNULLA
PRÆJUDICIA
CIRCA AEREM,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu arque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P RÆ S I D E
PRORECTOR^E MAGNIFICO

DN. D. MICHAELE ALBERTI
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVIL.
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LUCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXXXVII. D. AUGUST.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

AUCTOR DEFENSURUS
JOHANNES USENBENZ,
ULMA - SUEVUS.


HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

ДИЛАТОДИАГРАММА

ПОДСТАВКА

ДИЛАТОДИАГРАММА

ДИЛАТОДИАГРАММА



PRÆFAMEN.

Dignum præter alios fuit visum celebri illi Mutinensium Medico Bernb. RAMAZZI-
N I Cap. 3. de Princip. Valet. Tuenda p. 413. tem-
pora nostra felicia concelebrare, eo, quod
aëris natura & supra viventium corpora pote-
stas nulli ætati magis innotuerit, quam nostræ, & quod pau-
co de admirandis illius proprietatibus habeamus a Veteribus
Philosophis, longe plura autem & oculata fide certiora a re-
rum naturalium scriptoribus habeat hæc ætas nostra.
Perfacile etiam huic asserto subscribere poterimus,
quando consideramus, quod variae Machinarum spe-
cies recentioribus hisce temporibus fuerint excogi-
tatae, quæ elasticitatem, compressionem, gravitatem,
motum, peregrinorum commixtionem &c. ex invisi-
bili hoc corpore expiscari voluerunt. Verum enim
vero nimium properus amor in hujusmodi res opti-
ma eorum conamina non raro deturpavit, & oculos
integrii judicii obcæcavit, ut aëri sæpe tribuerint, quæ
ipsi soli neutiquam adscribenda erant. Exempli lo-
co nobis esse poterit *Elasticitas* ejus, quam cohors
Physicorum eo usque extendit, ut juxta suffragia
BOYLEI & aliorum antesignanorum acriter defen-
dat, quod aër 500000-600000. vicibus majorem lo-
cum solo caloris concursu occupare posse, & tamen
nondum omnis ulterioris expensionis statum depo-
suerit. Provocant equidem hi viri ad experimenta

satis speciosa, quibus monstrosam hanc *elastica* vim defendere nituntur; Sed licet veritatem effectus in dubium vocare neutiquam in animo sit, profecto tamen de veritate adductæ causæ ubique hæsitabit ratio. Nam ubicunque etiam hujusmodi eminenter expansivas virtutes proritare licet, ibi aërem nunquam solum & a peregrinis materiis liberum usurpare integrum est, sed semper alia quædam activa materia, imprimis autem aqueo-vaporosa tenerrime & copiosissime dissoluta adjutricem operam confert; atque hoc quotidie experiri possumus levissimo apparatu cum vesica bubula, quæ aëre sicco & puro leviter impleta ac optime clausa, ad fornacem calidam mediocre augmentum admittet, quamprimum vero aqua ab extra imbuitur vesica, ut per aërem interius contentum vapores distribui possint, sub eodem caloris gradu ad rupturam usque intumescet. Ælopilæ idem nos docent satis manifeste, quando aqua ad dimidiā sui partem repletæ & super carbones accensos repositæ ventum vaporosum cum impetu & sibilo tamdiu explodunt, donec omnis fere aqua consumta sit, quem effectum minime præstat hoc instrumentum, si aëri soli res committatur. Qui hæc juste considerat, facile attingere poterit, quod in Machina Papiniana aëris elasticitas sola non sufficere possit pro emolliendis ossibus & imprimenda aqua intra ultima pororum latibula, sed quod revera vapores, copiosissime excitati, in hoc negotio tantum confirant, quantum aér nunquam poterit. Ne vero cuiquam pristinum dubium in mente recoquatur, an non in allegatis experimentis nihilominus fortior car-

loris

loris gradus aërem tanto impetu dilatatorio instruat, ut ad aquam confugere superfluum foret, ille omni exceptione majus documentum offendet in admiranda illa expansiva effervescentia, quæ oritur ex commixtione acidi & alcali sub variis operationibus chemicis obvia, ubi solutiones utriusque salis bene saturatae interstitia & poros aquæ ita occupatos habent, ut non modo notabiliter graviores evadant liquores, sed etiam ex hoc fonte aëris inhæsis tanta, quanta ordinarie in aquis conceditur, nec præsumi, nec ulla arte demonstrari possit. Quamvis autem hujusmodi effectuum sotericorum explicatio apud Physicos communes inexplicabilis videatur, & silentio ubique prætermittatur; tamen facile via se pandit, quando cum *Magnif. Dn. D. PRÆSIDE in Fund. Philos. Natur.* p. 199. sq. §. 60. dicimus: *Quod primarum incitamentum motus hujus elasticæ sit subtilior dispersa & sublimius in aërem insinuata & extenuata aquositas, cui, quo magis caloris motus accederat, eo magis elasticitas illa augeatur.* Neque etiam iniqui erimus, quando cum *Meritisimo B. S T A H L I O* eadem fere attributa aqua adscribamus, quæ laudatus vir, de substantia inflammabili resoluta prædicavit in *Zymotecbn.* p. 120. *Opusc.* quod nempe *elasticitate sua aërem menitorur*, imo, quod dicere licebit, ipsa aëris expansione fortior sit. Propius modum fiendi mechanicum tantæ expansionis adumbrandi suo jam tempore annis est *Ren. C A R T E S I U S*, per similitudinem elasticitatis aëris notissimæ. Mirandum itaque quod ubique tanta vestigia horum viorum & imprimis palpabilia tentamina *Francisc. de LANA* in *Magist. Nat. & Art. atque Bac. VERULAMII* in-

digitatio adeo incurios reliquerint Philosophos ad nostrum usque diem, cum tamen ex hac sola consideratione tot stupendos effectus & insolubiles haec tenus nodos circa fulmina, tonitrua, varia improvisa phænomena & successus in Pyrotechnia chemica, Pyrobolia &c. satis feliciter solvere possimus; quid quod sponte hinc specialissima explicatio fluit, machinæ illius Greilianæ, ad incendia extingueda, usitatæ & probatæ. Quoniam vero hæc & alia Phyfica momenta magnam tractationem explere possent, hoc loco autem ad talia, quæ vitam & sanitatem concernunt, animum dirigere, multæ circumstantiæ suadent; hinc omnes ulteriores mere Physicas contemplationes mittam, & potius præjudicia quædam Medica circa aërem pro viribus perquiram. Tanto magis hujusmodi thema feligere placuit, quia detestio talium errorum practica utilitate destituta esse nequit, & infrequens tractatio similium materiarum sine dubio quosdam ad sui lectionem alliceret: Interim cum hic Titulus ob amplitudinem suam plures plagas pro delineatione exposceret; hinc tantummodo sparsim quædam, toto fere die obvia collegi, ut sic brevitatis studium eo melius exercere possim. Expono itaque hæc pauca consuetæ ventilationi Academicæ & postmodum favente Numinе inter privatos labores ea addam, quæ jamjam in pectorе gero, & quæ usus quotidianus ulterius subiecte docebit. Deus autem ceu summus Moderator mei meorumque etiam huic conamini ex alto adspiret, quo Creatorem in creatura non juxta vagæ rationis instinctum, sed juxta veritatem pie agnoscamus & veneremur.

§. I.

§. I.

Quum varii nostris temporibus de Præjudiciis copiose egerint, & generaliores hujus vocabuli notiones juxta regulas artis curate diduxerint, insuperque quotidianus hominum usus eorum indolem & vel mediocriter tantum exculto animo prodat, hinc tædet & piget toties jam cocta & recocta denuo adponere, quoniam hac vice Medicum Thæma exarare proposui, quod Philosophicos terminorum communium significatus ex proprio suo fonte suppositos habere debet. Quod si autem nihilominus aliquid dicere velim, tunc præjudicium Definitio nuncupo *præcipitem atque incongruam dijudicationem rei*, præjudicij antequam satis super lapidem lydium acuti & integri judicij fuit explorata.

§. II. Quoniam igitur imprimis judicij morbum Brevis sub- & infirmitatem indicat præjudicium, facile quivis agno- jectorum scet, quod, qui eminenti ingenio pollent, & fugitiva re- considera- rum æstimatione delectantur, facilius præjudiciis subjecti tio. sint, quam alii, qui patientia gaudent debite combinandi & disjungendi ideas rerum. Cui autem volupe erit plura circa vocis genealogiam, locum natalem in operacionibus mentis, causas excitantes varias, subjecta, objecta, significatum & insignem ejus amplitudinem disquirendi, non a me expectabit, sed in libris Philosophicis abunde talia reperiet, in quorum serie merito collocari potest eruditæ *Diff. Excell. D. HERTENSTEINII* ante aliquot annos in Gymnasio Ulmensi habita, & sic nihil obstat, quo minus immediate ad specialissimam tractationem præjudiciorum Medicorum circa aërem nos accingamus.

§. III. Est autem vastum illud mare atmosphæricum ex Physica satis notum, in quo vivimus, & ex quo Aer præju- dicio obnoxius.

Ratio omis-
se fusoris
disquisicio-
nis de præ-
judicij.

Scopus ge-
neralis.

spiritum per omnem vitam trahimus, quod plura iniqua
hominum judicia & multas sotnicas accusationes in se su-
scipere debet, ut quisquam amplius dubitare posset, num
vitae & sanitati magis noceat, quam profit. Atque haec
sphalmeta intellectus humani non modo ex ore credulæ
plebis audiuntur, sed varia etiam eruditorum dogmata &
supposita aërem hinc inde diffamare, & varias noxias qua-
litates imaginarias in illum transferre non erubuerunt. Di-
gnum itaque judicavi, genuinos restrictæ utilitatis termi-
nos paululum extendere & beneficium aëris non satis a-
gnoscentibus specimen aliquod exhibere, in quo varia
præjudicia non levia removentur. Neutiquam vero il-
lud in me suscipio, ut omnes obvios circa aërem errores
medicos excutere velim, quia pauciores hæ paginæ rem
illam non complectentur; Hinc aliquot tantum eorum
adduxisse scopo meo hac vice satisfactum reor, quo inde
illis, quibus penitandi facultas inest, ad ulteriora hujus-
modi perverse credita, recte æstimanda instigentur. Mul-
to minus eo usque meam defensionem extendam, ut o-
mnem statum & qualitatem aëris defendam ac pro sanitatis
proficio adjumento declarem, cum potius viris pluribus
satis Celebris merito subscribere debeam, qui fontes
aëris noxii satis prolixe exhibuerunt, inter quos eminet
*Magnif. Dn. PRÆSES tam in Prax. extemp. Cas. XII. de
noxa e vaporibus inimicis, quam in Diff. de efficacia aëris
ad generandos morbos.* Interim nec hac occasione deero
interdum aëris qualitatem ex accidenti nocivam prodere,
quam tamen non omnes æque satis agnoscunt, sed ad alias
causas configiendo, ceu innoxiam dimittunt.

§. IV. Quando tamen quidam aërem tanquam
nocivam scaturiginem multorum morborum accusant,
mini-

minime eo progrediuntur, ut ipsum purum & temperatum ceu sanitatis perversorem declarent, utpote qui omnium consensu in & per se plane innocuus est, & ad vitam conservandam summe necessarius agnoscitur, unde etiam omni tempore respiratio ad motus vitales fuit connumerata; subtracto enim per leve tantum temporis intervallum aëre illico omnis progressus humorum, & cum illo vita tollitur. Potius vero varias ejus qualitates accusant, quarum alias primas vocant & magis universales, uti calor & frigus atque cum his connectens gravitas ac levitas, humiditas & siccitas, variansque ejusdem motus & ventilatio, i. e. ventorum habitudo diversa &c. Sed quam parci sint plurimi auctorum in evolvendis & condigne adPLICANDIS hisce, permultos, meliora desiderantes, testari licet. Longe frequentius autem est, ut ad varias heterogeneas, aliunde adventantes, & in atmosphaera hospitantes configuant, illasque pro explicatione variorum effectuum non raro perverse proferunt.

§. V. Est autem triga verborum, quam vulgus non modo, sed & Physicorum superbiens cohors perpe- tuo fere in ore gerit, & ex qua lernam malorum deducere tentat, adeo ut facile dubitare quis posset, num hic ab illo, vel vice versa artem ita philosophandi didicerit. Quæsiveris ex utroque & mox audies querelas communes contra salia, sulphur, & putredinem formatas, quæ aër intra se recondens humano corpori introducere debet, unde tum humano generi nil nisi morbos & tragicos successus imminere illi statuunt. Sed vero si curatius fueris scrutatus, unde allegatarum causarum præsentiam arguere velint, & quomodo deductio causalis ulterior respondeat, verba non raro multa & pomposa audire licet, quæ tamen

sobrio examini subiecta raro quadrant, sed vel præsentiam
in dubio relinquunt, vel, si etiam revera adstruantur, ta-
men variis nævis in adplicatione ad corporis humanum la-
borant.

qualitates
aëris variae
in specie.

præjudici-
um fistunt
exemplo
frigoris.

§. VI. Quod attinet istas qualitates caloris & frigo-
ris, humiditatis & siccitatis, tunc vix leviter & superficia-
rie communes Physico-Medici hoc momentum attingunt,
multo minus explet, & mox μεταβασιν εἰς αὔτο γενος
committunt, quod ipsum per exempla clarius fieri. Sic
enim, quando forte peculiares effectus a frigore in corpus
humanum resultantes explicare debent, raro simplicita-
tem naturae sequuntur, sed illico materias frigorificas in
aëre obversantes in subsidium trahunt, quas venti ex bo-
realibus plagiis potissimum advehere perhibent, has ipsas
intra corpus per poros ubique obvios insinuari, partes
sensibiles adfertum pangere, sanguinem spirituosa parte
orbare & inspissando ac coagulando humores fundamen-
tam plurium morborum sternere credunt. Cum vero
hujusmodi incrassationem præ aliis admittat seroso-lym-
phalis portio sanguinis; hinc etiam afflictiones ex restagna-
tione, itasi & alia qualicunque corruptione hujus humo-
ris ab illis nitrofis halitibus hyemal tempore in aëre abun-
dantibus derivant. Hanc incrassantem & coagulantem
efficaciam nitrofæ volatilis substantiae eousque extendit
GREW Tr. Angl. Discours of Mixture p. 17. ut etiam oleo-
sam portionem sanguinis coagulare & in adipem commu-
nare posse atque solere statuat, ex quo concludendo per-
git, quod homines hyeme pinguiores esse debeant quam
estate.

§. VII. Sed vero, quum hanc infringidantis acidii ni-
trofæ existentiam multis modis jam destruxerint Viri judi-
ciosi,

ciosi, sponte adparebit, quod vana sit eo superstructa & alia opinio
tiologia morborum hyemalium. Fuere hinc alii non pau- ci, qui nævum hunc pernoscentes alium sibi nexus cau- præjudica-
farum formarunt, vix tamen felicioribus gavisi sunt fatis, ta.
quando aërem frigidum densitate & gravitate sua auctum
pro solvendo omni nodo sufficere putant. Ut vero spe- ciem veritatis assertis suis addant, provocant ad observa-
tiones barometricas, juxta quas Mercurius in tubo TORRI-
CELLIANO ab externi aëris aucta densitate & pondere ad
notabilem altitudinem protruditur, atque huic effectui si-
mile quid contingere in corpore nostro asseverant, quan-
do aër vel frigore nimis condensatus vel etiam exhalanti-
bus materiis valde oppletus, non modo respirationis mu-
nus satis impeditum & refractarium reddit, teste Machi-
na Pneumatica BOYLEI & confirmante ETTMÜLLERO
Disp. de Abstrus. Respir. negot. sed etiam totam superfi-
ciem corporis ita comprimit, ut humores, per universum
partium externarum habitum liberius diffusi, interiora ver-
sus passive reprimantur, & tardior humorum circulus in-
de succedat, sub quo succi vitales sensim lentescunt, va-
riæ corruptiones initiantes prodeunt, & soboles variorum
morborum emergit.

§. VIII. Quod vero tota hæc consideratio infirmo resutatur,
nitatur fulcro & vel ex hoc solo momento perspici po-
terit, quod non raro sub impetuofiori frigoris augmento
 manus & reliquæ partes denudatae, sanguine copioso in-
farctæ ac tumidæ conspiciantur, ita ut vix intensus calor
tantum ruborem & turgefactionem a vivido sanguine pro-
ducere possit; Germani exprimunt, die Hände und das
Gesicht sehn Krebs-Noth, cum tamen ex legibus & ne-
cessitatibus Physico-Mechanicis fluere deberet, quod in-

tensior potentia ab extra reniens tanto vegetius ad pul-
sui humorum interno resistere deberet, quam minor.
Quando autem e contraria parte eadem membra eminen-
ter rubentia & dolentia in calidum locum deferuntur, ubi
externa resistentia & pressio imminuta est, sensim miti-
scunt dicit effectus, usque dum tandem plane evanescant
& pristinus naturalis color rursus compareat, ubi tamen
rursus mechanicae regulæ requirent, ut ablato externo
renisu & relaxata superficie humorum adparatus e centro
ad distita loca liberius & abundantius propellerentur.

vera causa § IX. Rationi itaque magis consonum erit ad cau-
sam aliam internam activam & energetice motricem pro-
vocare, quæ pro indigentia circumstantiarum confulto
motus istos suscipit, ita quidem, ut in hoc casu partes
corporis a frigoris impetu diuturno dolentes & metum
obrigescientiae & congelationis incurrentes, vegeto in-
fluxu humorum vitalium soletur, quod non agit, quan-
do frigus corpori jam demum allabi inchoat; ibi enim pri-
ma ista molesta invasio & sensatio tantum invitat, ut fores
quasi claudantur & humores a frigore facile coagulandi in-
tenso motu fibrarum tonico ad interiora reprimantur, ut
ibidem eosque custodiantur. Quando tamen continu-
ans frigoris vigor externis partibus nimis molestus eva-
dit, & periculum minatur, novo, eoque universo con-
filio natura corporis sui defensor contra militantem ho-
stem insurgit & humores reliquos exteriorem superfici-
em parcios pervadentes, insuperque a frigore multum al-
teratos fovere, diluere & dissipare allaborat, ne stasis &
ex hac destruetio fluidarum æque ac solidarum partium
inde progerminet. Ab eadem causa tunc facillime expli-
catio depromi poterit, quod concalcefactis rursus parti-
bus

bus frigore prius adfectis, coacervati humores rursus plae-
cide non tamen sine omnibus motibus fibrantibus ac pun-
gentibus distribuantur, cum ex fundamento legum hy-
draulicarum consequi deberet, ut remittente externo re-
nisi solidorum, fluida promptius ingredi possent. Nota-
bilem hunc effectum vero a causa activa deducere non
melius pernoscat, nisi qui sedulo observavit, quod in ter-
rore subitaneo, utpote affectu animi, conclusiones & in-
tentiones partium fibrosarum per peripheriam contin-
gant, & regurgitationes fluidorum ad interiora pedisse-
quas habeant, quæ tum simili fere ratione coacervationes,
distensiones, angustationes & plures molestas afflictiones
cum frigoris effectu optime symbolizantes, non possunt
non proritare.

§ X. Quod autem effectus frigoris in se conside- effectus fri-
rati ad generandos morbos attinet, tunc ratio docet, quod goris non
inceptor sit, quam ulla fere alia conditio æris ad impetuo- adeo noxi-
fos & periculosos morbos producendos, & experientia us.
simul confirmat, quod frigus æquale per raro sotica mala
corpori afficeret, ut potius epidemicos & communes in-
sultus sub varia autumni tempestate consuetos, nulla æ-
ris emendatio artificialis, nec ulla medicamenta tam cito &
certo fugare possint, quam superveniens hyems, quod fa-
tis expertus est LANCISIUS de noxa palud. eff. p. 184. ubi
testatur, quod epidemicci morbi Romanum populum dejici-
entes flantibus boreis dissipati & citissime finiti fuerint,
quæ observatio etiam omnibus sedulis practicis notissi-
ma est.

§ XI. Implicarer in diffusum paradoxarum & ma-
xima ex parte jam excusarum hypothesum campum, si
frigoris varia augmenta a varia corporum cœlestium rela-

tione, situ, atque hinc supposito influxu derivarem, & via
ria præjudicia inde eruere vellem; in specie autem parum
pro scopo meo lucrarer, si cum PARACELSO & aseclis e-
jus varias illas conceptas materias recrementicias, stellarum
in vorticem telluris nostri transmissas, huc trahere, & tan-
quam complurium morborum causas ex mente illorum al-
legare vellem. Quod si tamen quicquam fuit, quod in hac
materia Auctores etiam satis judiciosos sub servitute cre-
duli assensus detinuit; est certe *Luna*, cui prioribus tem-
poribus ad unum fere omnes insignem illam frigefacien-
di efficaciam attribuere, quæ cerebro & toti systemati nervorum
æque ac inexistentibus spiritibus animalibus, uti
loquuntur, insidiosa existere debet. Magna auctoritate
HELMONTIUS hanc doctrinam propagavit & pomposis
verbis ætiologiam hujus rei subjunxit, *Lib. de formar. or-
tu parag. 39.* in qua sententia subscriptentes habet *magnum
WEPFERUM, celebrem SCHROECKIUM Augustanum,
SALMUTHUM & præter plures alias A. Q. RIVINUM &
FRICCIUM, Ulmensem, in Paradox. Med.*, qui ultimus
quidem subtiliorem, veritati tamen non melius responden-
tem deductionem p. 65. l.c. superaddit.

variae histo-
riæ, quomo-
do explicari
debeant.

§. XII. Sed quid diu morabimur in re, quæ plures
sedulos observatores etiam circa veritatem facti contradic-
entes habet, profecto hi longe prævalebunt præ illis, qui
ex facili tantum assensu aliorum credulas traditiones ex-
scribunt, & cum non raro hujusmodi homines speciosas
historias circumferant, quæ revera circumspectum re-
quirunt judicium, ne occurrentes quandoque insolitos
effectus mox eidem *Luna* activitati adscribant, sed perpen-
dant, quantum non tenax & fixa imaginatio imminentis cu-
jusdam mali in subjectis quibusdam sensibilibus vel ægris
vale-

valeat. Quando autem *paroxyzantes* specialium morborum *insultus Luna phasēs* recursū suo imitari dicunt, tunc ex hoc solo momento, quod coincidant uno temporis puncto, conclusionem ad causam formare, contra omnia Logica principia valde impingeret, & plurimas absinas consecutiones post se traheret.

§. XIII. Licet autem suppositam talem tortuosam probationem interea concederemus, quod, quo magis terra nostra a *Luna* illustretur, eo magis illam frigefaciat; tam ex hoc simplici & leviori refrigerio tam atroces ac sonicos morbos derivare nulli cordato pathologo satisfacere posset, quando perpendit, quod acerbior frigoris gradus tantas non possideat vires, ut epilepsias, convulsiones, motiones mentis & plura dira mala producere possit. Quid itaque mirum, quod sub tanto consensu Medicorum etiam quidam *Theologi* illorum asserta amplexi fuerint, id quod ipsis etiam facile condonari posset, dummodo abstinuiscent, ex bona licet intentione, talia precum formulis immiscere & aversionem non entium a Deo erogare.

§. XIV. Evidenter hac occasione ex scholis Medicorum *Astrologorum* varia horrenda præfigia de Eclipsibus lunaribus, Saturni frigefacientis potentia afferri possent; quoniam vero res nullius usus & *vana est sine fulmineira*, hinc non sine causa frigide præterimus, & *Calorem* præjudicia tanquam alteram palmariam qualitatem aëris frigori dire-
cte oppositam, in scenam producemus. Quamvis autem circa calorem.
hic aëris motus in & per se non adeo nocivus sit, tamen varios dissensus Auctorum prolixit, unde etiam non omnem animadversionem prætermittere possum, sed merito præjudicatis opinionibus accensere debeo, quando subinde Medici quidam ab aëre, per diuturniorem radio-

rum

rum solarium magis rectorum collectionem, *calentia & æstuante* directe *dyscrasiam* humorum alcalino-acrem derivant, eo magis quidem quia æstus hic solaris varias mineralium particulas in atmosphærā elevare, ibidem ulterius attenuare & sanguinem subtiliorem & acriorem redere debet, ex quo statutum copiosos sudores & febres æstuantes imo quandoque malignas promanare perhibent.

Objectio re-
solvitur.

§. XV. Sed vero, quo jure hæc salvari possint, nondum perspicio; licet enim pro qualicunque defensione allegare possent, quod humores corporis sub aucta sudatione æstiva multum tenuioris limporis perdant, unde acrimonia humorum magis concentrari & manifestari debet; scire tamen debent, quod sudor non sit iners & factuum serum, sed quod abundantes resolutas & tenerrimas materias orgasmicas satis copiosas secum vehat, id quod non modo odor adversus sudantium, sed & eorum industria colorata subpingua ac potissimum observationes BAR-THOLINI tam in *Act. Haffn.*, quam in *Tr. de Luce Animal.* testari possunt, ubi homines quidam pinguiorem sudorem emitentes, phosphorescente quasi materia inuncti, nocturno tempore lucentes allegantur.

§. XVI. Interea prouti allegata communis inquisitionis massæ humorum ex atmosphærā inter postulata manebit; ita ex altera parte hi viri genealogiam impuritatum in sanguine obviarum non satis agnoscisse videntur, quod scilicet ipse sanguis optimus & balsamicus proprium subjectum sit, ex quo materias recrementitiae, inutiles ac revera deleteriae generari possunt. Ipsa lex circulationis humorum involvit, ut sanguis e communi sua cisterna in omnes corporis partes distribuatur, ubi sub valido transpulso ad latera vasorum, quæ permeat & partes fibroso

mu-

noxiaæ ma-
teriaæ ex o-
ptimo san-
guine gene-
rantur.



muscularæ &c. per quas trans�rimitur perpetuo allidit,
 unde crasis & mixtio successive dissolvitur; hæc apospas-
 mata tum sub continuante circulatione plus atteruntur ac
 subtilisantur, tanto magis si calor externus æstivus insoli-
 tam expansionem inferat, & simul intestinum motum for-
 tius intendat. Totum hoc schema motuum debitam hu-
 morum miscelam & vitam valde turbaret & sensim sui juris
 redderet, nisi quotidie materia illa dissoluta & reliquæ mix-
 tioni valde inimica exturbaretur. Huic negotio similiter
 faret conditio aëris æstivi calidi æquabilis, ubi tota super-
 ficies corporis justum illud toni moderamen possideret, ut
 humores tenuiores & mobiliores superficiem abundantius
 ingredi & partem serosam ramentis sulphureo-salinis locu-
 pletatam per poros satis pandos dimittere possent. Hac
 ratione itaque semper ea quantitas recrementisæ materiæ
 e corpore migrat, quæ singulis momentis ingeneratur,
 & reliqua mixtio humorum inter ipsam destructionem fal-
 va vindicatur, simul autem illa proportio & æquilibrium
 inter fluida & solida plus obtinetur, quam ullo alio tempo-
 re, siquidem accuratus SANCTORIUS in Medicina Statice
 Sect. II. apb. 23. annotavit, quod corpora æstatis tempore tri-
 um circiter librarum pondere leviora sint, quam hyeme, quod
 decrementum laudatus vir optime ab auctiore transpira-
 tione derivat, licet etiam suum contribuat debilior appe-
 titus, qui æstate solennis est, auctior vero hyeme. Hanc
 differentiam ponderis in corpore humano agnovisse etiam
 videtur HIPPOCRATES Lib. de Nat. Hom. N. 14 quando
 dicit, quod aurum paucissimus sanguis sit in hominè,
 nempe ob prægressam æstatem, quæ corpora probe exau-
 fit. Cum grano salis itaque accipienda est assertio CORN.
 CELSI Lib. II. C. I. §. 30. calor omnis & jecur & lienem in-

cur ordina-
 rie non no-
 ceant a pri-
 ori mon-
 stratur.

flammar, mentem bebetat, & ut anima deficiat, ut sanguis prorumpat, efficit.

a Posteriori.

§. XVII. Rationibus a priori petitis pro defendenda aëris calentis efficacia ad sanitatem accedere potest experientia singularis J. MAR. LANCISII, quando tam Doni antiquioris Medici, quam proprias observationes adfert, nullos fere morbos & febres incurvare, liceat solis radiis omnium maxime verberent, cum viget aëtas æqualis & aliquanto calidior. Idem plane confirmat assertum CELSI Lib. I. C. I. afferentis: ex tempestatibus optimæ æquales, sunt sive frigidæ sive calidæ: pessimæ quæ maxime variant.

Præjudic.
circa subi-
tas mutatio-
nes aëris.

§. XVIII. Aliam plane scenam ludit aër, quando optimæ hæ qualitates in subitanæ mutationes precipitantur, vel aliis qualitatibus humiditatis, immodicæ siccitatis &c. complicantur, & tunc aëris talis secunda mater plurimum morborum evadit, in quo annuentem habemus RAMAZZINI Constit. Epid. p. 104. calor ac frigoris sive sunt causæ immediatae, sive excitantes & occasio[n]ales, subitos mutationes in nostris corporibus parere possunt, & humorum retenturam citius, quam quis putet, invertent. Hinc quando v. gr. aër per aëstatem bene calidus horroribus autumnalibus inconstantibus portas pandit, & simul humidis vaporibus replet, vel quando ipsa aëtas inter varias sensibiliores alterationes peragit, caterva morborum corpora humana infestat, quorum ingentem catalogum in observationibus anniversariis practicorum deprehendere licet. Ad hoc usque punctum unanimia ubique sunt Medicorum vota; quam primum autem de causa & modo fiendi scrutari animus est, subito in partes trahi philosophantium copiam apparebit, & præjudicatas opiniones hic quoque offendemus. Profecto enim non ad aliam classem pertinet,

quan-

quando autumno aërem magis effatum declarant & propteræ plurimis effluviis salto acidis scatere perhibent, quæ massam sanguineam a prægressæ æstatis calore spiritibus exhaustam ad aciditatem & coagulationem disponunt, unde tum magnam seriem morborum, ab HIPPOCRATE *Se&t. III.*
aph. 22. recensitorum, derivant.

§ XIX. Alii Pathologorum aliter incedunt, sed alia opinio-
minus feliciter ex aëre causati materialem horum morbo-
rum derivant, & mox ad varia miasmatæ ex hac mutatione
in mari aëreo collecta, confugiunt, quæ corpus ab extra
immediate contingere, inde ad interiora usque penetra-
re & varias partes contaminare debent, ut tot morbi & tan-
ta eorum symptomata prodeant, *LANCIS. L. II. Nox. Pa-
lud. effluv. p. 215. n. 11.* Alii vicissim juxta *Sylvianam hypo-*
thesin aëris æstui tribuunt, quod bilis acrimoniam valde
intendat, quæ, frigida succedente aura & coarctatis ad in-
teriora humoribus, liberalius intra duodenum exprimi-
tur. Quando itaque effusa semicaustica bilis cum affluen-
te succo pancreatico commiscetur, justo fortior ebullitio
exoritur, quæ in massa sanguinea febriles effervescentias
concitat, atque sic omnes exagitaciones febriles sive in-
termittentes sive acutas, sed populariter tantum grassan-
tes prolicere oportet, vid. pluribus *SYLVIUM* & qui ejus
dogmata propagarunt.

§. XX. Plures equidem hujusmodi variantes lectio-
nes addere possem ex Auctoribus imprimis antiquorum
temporum; quoniam vero non injusta suspicio subrepit,
ne nauseam illis imprimam, qui veritati inhiant, plura hu-
jusmodi mitto & tantum dico, mirandum merito esse,
quod tam raro sollicita *SANCTORII* dogmata pro fide ho-
dego fuerint usurpata ad planiorem & certiorem patholo-

giam formandam. Quandoquidem vero vita nostra iuxta confessionem complurium auctorum in æquilibrio & proportionata habitudine omnium corporis partium consistit; ita hic ipse vir huic negotio plus, quam alii satisfecit, siquidem non modo amplifice hanc reciprocam partium solidarum & fluidarum potentiam & vires propalavit, sed etiam ex consequenti redditum ac expensorum corporis, i.e. ingestorum & egestorum harmoniam huic fundamento superstruxit, atque ex turbato hoc mutuo moderamine varios secundarios perversos effectus progerminare monstravit. Quamprimum enim e. gr. transpiratio debita cohibetur, eadem materia sudoris resoluta non manet in corpore, qualis antea fuit, sed acrior & fermentativa evadit, tanto magis quidem, quando peripherica excretio infringitur eo tempore, quo eminentior aëris mutatio obvia est, & semina morborum prævio tempore concepta per motum & fotum in sanguine ulterius exaltantur, quæ pro diversa subtilitate & activitate diversæ indolis morbos excludent. Obliviscuntur ut plurimum *Auctores* hanc dignissimam considerationem, & si etiam aliquid agere volunt, leviter tantum mussitant, punctum autem rei non attingunt, atque sic indignos in cœconomia vitali cœconomos agunt, & computum rerum ita perverse instruunt, ut, nisi ipsa autocratica cœconomia interna sincerius & constantius ageret, quam, qui successus hos in cerebro vel libris designant, opinione citius a functionibus naturalibus non tantum, sed & vitalibus removerentur.

de dysenteria
perverfa
judicia.

§. XXI. Similia fere fata expertus est morbus Mensi Augusto atque Septembri proprius, non tamen omnibus æque annis affligens, sed autumno per multas vicissitudines molesto, respondens, qui est *Dysenteria*, pro speciali

ciali genio tempestatis magis minusve acerbata. Communia sunt auctorum plurimorum & que ac plebeculae trahita, quod a pomis immaturis, dyspeptis facile fermentantibus & in ventriculo sensim corrosivam accredinet induentibus, natales trahat, atque vulgum, facile comparabilem victum avide quærentem, imprimis infestet, in cuius intestinis tum spicula illa salina, per fermentationem exaltata, arrosionem moliuntur, atque vel fluxum muci gelatinosi per alium proliunt, vel tunicas ita aggrediuntur, ut etiam vascula sanguifera hinc inde saucientur, unde excretio illa sanguinis torminosa, cum variis aliis concomitantibus malis, subsequitur.

§. XXII. Licit vero hic effectus satis sit manifestus & ab omnibus confessus; tamen circa causam juste excipi potest, quod his dictis mensibus tot pomorum genera jam ira sint maturata, ut immatura eligere contra rationem foret; & cur non potius Julio Mense idem contingere, quo tempore tamen ad maturitatem sensim appropinquare inchoant, & primus esurimus ad petitus homines invitat, ad primitias æstatis degustandas. Accedit, quod etiam non raro illis annis, quibus parcissimus est pomorum provenit turmatim invadat dysenteria, eademque interdum vix & non nisi rarissime observetur, etiamsi maxime luxuriant poma, ita ut incomitus eorum usus copiosa primarum viarum vitia introducat. Tandem etiam non infre-
quenter exempla obveniunt, quod ab omni pomorum esu abstinentes, injurias autem aëris liberius admittentes eodem tamen morbo prosternantur ac alii.

§. XXIII. Manet itaque quod genuina causa sit subi-
tanea & frequens mutatio aëris calidi in frigidum, quando
potissimum auctior æstatis fervor prægressus massam hu-

aëris muta-
tio vera
causa est.

morum tenuem & resolutam p̄st̄tit ; tunc enim communissimæ autumni mutationes inconstantes efficiunt, ut æstus interdiu quidem urgeat & resoluta apopspasmata copiose generentur, noctu autem notabile frigus corpus sensibile laxum & madidum offendat, atque stricturas periphericas sub horroribus frequentibus inferat, a quibus humores in universum ad interiora loca diriguntur, resolutæ orgasticæ materiæ a salutari evaporatione p̄cluduntur, ex opposita parte vero in intestinorum canalem deponuntur tanto liberius, quando qualisunque saburra in primis viis p̄exit. Hæc activa & ad intestinum motum promtissima materia reliquam magis inertem & innocuam, quam in intestinorum tractu deprehendit, eodem suo motu resolutorio afficit, sub larga bilis proritatione sibi, quantum, potest assimilat, & sub hoc statu omnia ista schemata motuum introducit, quæ dysenteriæ propria sunt. Multiplex autem differentia graduum, quæ intercedit in hoc morbo, nititur maxime materiâ istâ halitusosâ, magis minusve acri & volatili, & hæc rursus magis minusve æstuosa tempestate p̄cedanea, aut s̄epius & gravius alternante, unde massa sanguinea fortius vel mitius exagitatur & dissolvitur.

cur non alio
anni tem-
pore eve-
niat.

§. XXIV. Ex his ratio patet, quod vegeta æstate hic morbus suam invasionem non inferat, licet sanguis strenue colliqueatur; etenim alterum illud requisitum non obtingit, nempe insolentior repercussio eorundem resolutorum humorum ad centralia loca. Quando tamen nihilominus interdum levior hujusmodi vacillatio caloris & frigoris obvia est, contingit quidem non raro, ut febres acutæ qualescumque tragediam ludant, frequentius autem conspirantibus primarum viarum levioribus conspurcationibus

nibus febres intermittentes vel tantum molimina talia accedunt, quæ tamen in junioribus & activis subjectis vomitus vel diarrhea ad desideratum finem transfert. Ultimi autem hi effectus sunt potissimum, qui hoc ipso anno, Junio Mense inchoante, adeo solennes fuere, ut etiam in solo Instituto Orphanotrophei ultra triginta juvenes una nocte eodem correptos fuissent affectu asseverare queam. Quoniam vero in hujusmodi statu ut plurimum etiam causa sanguinea se immiscere consuevit, hinc etiam vel cephalalgias, rubentibus & dolentibus oculis conjunctas accusarunt, vel haemorrhagias narium succedentes cum levamine experti sunt, vel catarrhalis afflictione mucido-tussiculosa numerum VII -- XIV. dierum ægrotando expleverunt. Atque hoc schema morbi est, cuius *Excell. Dn. Prof. JUNCKERUS, Praecept. atque Patronus Venerandus succinctam atque solidam introductionem suppeditavit in den. Hällischen wöchentlichen Anzeigen n. 40. den 17. Junii, ubi ostendit, quomodo ex vera cognitione nexus causalis hic effectus ita dirigiri possit, ne perversa conamina heroicorum subsidiorum præcipites lapsus & graviores morbos introducant.*

§. XXV. Plura forent, quæ in hoc ordine tanquam præjudicatas opiniones addere possem, & adhucdum amplior numerus superesset, si reliquas mutationes varias juxta anni tempora, ventos, & meteora compendiariæ tantum sciagraphiæ submittere vellem; cum vero præter opinionem præsens tractatio plures jam paginas implevit & varia adhucdum addere constitui; hinc illa destinato consilio prætero, & tantummodo parcissimus ero in *nebulis* adducendis. Has subinde varia descedatione materiali noxiiorum halituum impletas credunt plurimi, forte irrito illo metu maxima ex parte inducti, quod tenebricosus hic

Nebulae fal-
so ut pluri-
mum accu-
santur.

va-

vapor undique attingat corpora nostra, ut hinc etiam variæ loquendi formulæ & horridæ expressiones de eo non raro audiantur, dum quandoque accusant nebulam venenatam, putridam, fetentem, sulphuream, salinam, acrem & nescio quo plures qualitates. Quamvis vero iusmodi flosculi hic loci rarius audiantur, quia infrequenter est nebularum proventus; tanto tamen sèpius obser- vaveris in locis, ubi varia stagna, flumina & multæ collec- tiones aquarum ex inundationibus, imbribus &c. aërem prodiga evaporatione replent, ac præterea montium syl- varumque vicinia liberum flatum ventorum & dissipatio- nem halituum præpediunt.

refutatur
hæc opinio. §. XXVI. At vero si indeolem rei penitus fuerimus scrutati, ut plurimum iusta adparebit accusatio. Largior equidem lubentissime, quod ex copiosa computrefactione cadaverum, aquarum &c. varia vitæ & sanitati inimica ef- fluvia nebulis commisceri soleant, id quod *LANCISIUS de agro Romano & tractu Mutinensi* certis temporibus defen- dit; sic quoque calculum addo, quod in locis fodinarum arsenicales & metallici fumi conspurcare nebulas possint, & cum per nebulas hujusmodi heterogenea arctius colli- gantur & quasi condensentur, tanto certius noxios effe- ctus exferere queunt. Vicissim vero pari fiducia defen- do, quod plurimæ regiones hujusmodi qualificatas nebu- las generare nequeant, licet variae vituperationes de iis- dem circumgerantur: sic v. gr. in *patria mea* per vulgus malæ notæ habentur nebulæ autumno & vere consuetæ, ac si in sinu suo foverent materiale morborum variorum, unde pro avertenda omni inquinatione teneriores os, na- sumque sudario obtegunt, ne quid noxie materiae respi- rando corpus ingrediatur, & de reliquo, quantum fieri pot-

exemplum
patriæ meæ.

poteſt, in hypocauſis ſe cuſtodiunt. Quod ſi tamen curatius quis inquisiverit, an tales homines incommoda ex hujusmodi tempeſtate hoc evitaverint modo, mox deprehendet, quod longe maxima illorum copia in communes morborum iuſtus unā trahatur; illi vero, qui toto die iſtis iuſris ſe exponunt, & creffum ac uliginofum hunc aērem prodigie hauriunt, rariſſime tale quid experiantur. Aliam itaque hic ſubefte cauſam quis non vider, & facili opera melior deprehendetur, quando ſuperius dicta in ſubſidium explicationis vocantur, & nebulæ extra nos ſitæ tanum ceu cauſa externa occasionalis aētimantur.

§. XXVII. Quando autem nibilominus alicui dubium ſupereſſet circa materialem inquinationem, ille tam̄ consideret *indolem regionis*, tunc *fossas amplas* mœnia cingentes & aquis bonis repletissimas, *Danubium* rapido motu alluentem, *Blavum* ipsam urbem transmigrantem, & cum *Flera* non procul ab invicem *Danubii* alveo ſe inſinuantem, videbit, qua singulæ aquæ ita innoxiæ & laudabiles ſunt, ut multis in locis talem pro potu ordinario avide experientur, dummodo impetrare poſſent. Pariter nec iſius *stelluris conditio* adeo diſſamari debet, ſiquidem ex uno latere cis *Danubium* moderate ſiccum eſt ſolum, bene tamen fertile, ab omnibus peregrinis materiis liberum & paulo altius ſitum, cuiusmodi qualitatem omnes auctores unanimi confenſu laudant, cuius testimonia exhibent **HIPPOCRAT.** *L.3. apbor. 15. LANCIS. nox. palud. p. 8. A-MAT. LUSITANUS Cent. Med. 5. Cur. 69. p. 526. Cel. FRID. HOFFMANNUS Diff. Phys. Med. V. p. 226.* & complures alii; ex altera parte vero Australem tractum reſpiciente trans *Danubium* coniuita, magna pratorum planities laxam & quaſi ſpongiosam terram monſtrat, per quam

Indoles illius regionis non velificat inquinationi aēris.

præterlabentes Danubii ac hieræ aquæ copiose transcolari solent, unde fere semper bene madida est haec terra, ut etiam ibi in declivioribus locis stagnantes colligantur aquæ, quæ tanto facilius accrescunt, quando inundationes dictorum fluviorum ingruunt. Quum vero haec ipsa stagna leviora, subsidentibus intra ripas aquis fluvialibus, sensim rursus exsiccantur, &c., si etiam paulo diutius steterint, nil putredinis nec colore, nec odore prodant, multo minus vel peculiare quid sulphuris, vel salinæ acrimoniae manifestent, nihil superest, unde nebulis sotica impuritas & sanitati infesta qualitas accedere possit; nam quod ordinarios impuros balitus in urbibus & pagis concernit, prorsus tacemus, quia tanti non sunt momenti, imprimis in locis, ubi viarum mundities strictis Magistratum legibus jungitur.

simplices
exhalatio-
nes aquæ
quid vale-
ant.

§. XXVIII. Hac itaque ratione nihil amplius superest, quam simplices copiose exhalationes aquæ puræ in nebula dissolutæ, quæ autumno & vere copiosius aërem nostrum repletæ, ad quorum generationem largæ aquæ, humidiuscula prata, & situs aliquo modo profundior confert, cui accedit, quod montes, per magnum tractum se extendentes, sufficientem ventorum accessum & aëris dissipationem quadantenus impedian. Sponte hinc jam fluit, quantum efficacie in corpus humanum tribuendum sit tali aëri per copiosos vapores aggravato; sic, paulo tepidior si fuerit nebula, madore suo oneroso pulmones illabitur, & partes glandulosas ac membranaceas relaxat, unde difficilis & asthmatica respiratio introducitur, ab extra vero corpus feriens debilitates toni & inde profuos effectus fit; frigida vicissim si magis fuerit nebula, pondere æque ac frigoris sensibilis augmento pulmones ægressificit, gravibus-

vibusque catarrhalibus morbis viam pandit, eo facilius, si ab extra exquisite refrigeratorium sensum cuti imprimit, & a peripheria humores efficacius retroagit, quam simplex frigus utcunque durum, ubi tamen varietates morborum semper exacte respondent specialissimae diversitatiprægressæ temperiei aëris aliarumque circumstantiarum.

§. XXIX. Quoniam tamen nihilominus pathologia sulphurea atque salina aëris non modo in vulgi cerebris tenaciter haeret, sed adeo etiam omnem fere paginam in multorum Philosophorum ac Medicorum scriptis explet, operæ pretium judico, horum subjectorum potentiam juxta suffragia probatorum virorum examinare atque ostendere, quod pariter sine fundamento iniquo nomine fuerint notata. Sulphur inter hæc est, quod imprimis male audit, quasi sit materia tormentorum ac cruciatum in hac vita vix minus ac in inferno. Sed quid terrifica hæc representatio, ubi sana ratio aliud docet, & ad principia cuiuscunque subjecti indaganda dicit. Conflatum itaque est sulphur partim ex acido illo universalis seu Vitriolico; partim vero ex inflammabili principio seu φλογίσω in dicti acidi copulam intime adunito, quorum prius concentratum rodit & stimulat, discontinuatam vero roborat & moderate incrassat; posterius spicula illa salina obtundit, hebetat, balsamat, unde profecto a priori istam peculiarem temperiem colligimus, quæ vix ulla ratione melior ex cogitari posset.

§. XXX. Hæc sine dubio causa est, quod a variis auditoribus balsamus pectoralis seu pulmonum nuncupatur, in quo revera exquisite tonico-balsamica virtus adeo invicem associata est, ut pulmonibus admissum sulphur eosdem bene sanos custodiat, & laesis multum medelæ affe-

rat, atque ex hac fiducia caput successive erexerunt tot præparations balsamorum sulphuris, ut plurimum tamen magis noxiiorum, quam sulphur in genuina sua simplicitate.

§. XXXI. Mittimus idcirco omnem artificiosum adparatum utcunque speciosum, immo quicquid etiam internam ejus utilitatem respicit & scopo nostro propiores erimus, si solummodo consideraverimus, quale *commerciū sulphur cum aëre gerere soleat, & quomodo hujusmodi sulphuratus aér corporis fabricam afficiat.* Quid prius concernit, secure asseverare possumus, quod sulphur inter communia aëris contenta neutiquam sit accensendum; estenim inter historiæ naturalis scriptores notissimum, quod sulphur perraro nativum in terræ visceribus inveniatur, multo minus in superficie, sed omne prope modum, quod prostat artis sit productum, teste B. STAHLIO, *Illust. HOFFMANNO* aliisque; quod si autem sulphur revera præsto foret, tunc in *porenzia aëris*, sibi relieti neutiquam esset, illud elevare & in statum volatilem redigere; docet enim chemica hujus subjecti tractatio, quod caloris gradus longe ultra humani sensus tolerantiam intendi debeat, antequam in formam florum dirimi possit. Cœcutiret itaque, qui sulphur quæreret, ubi non est, & quantum communis aetiologia ex sulphure desumpta valeat, & vel ex hoc solo momento luce clarus comparebit.

Commercium sulphuris cum aëre.

§. XXXII. Interim tamen jure meritoque largimur copiosissimas utique exhalationes sulphuris per auram diffundi & naribus adeo graviter percipi ad longam usque distantiam in locis ubi officinæ sulphurariæ reperiuntur, & in hoc casu altera quaestio movenda venit, quinam effectus ex hujusmodi aëre in corpus humanum redundant. Exhibuimus jam in antecessum, quid ratio a priori dicitur, quando

Effectus aëris sulphur-

do ex miscelæ peculiari benignitate tonico-balsamicas vires
 accepit. Sunt equidem, qui plures pravos effectus ex
 sulphuris fumo in sanitatem redundare defendunt, inter
 quos magna famæ & fidei est RAMAZZINI, qui in *Tract.*
de Morb. Opif. speciale titulum posuit, de morbis, quibus
 tentari solent sulphurarii. Sed non satis distincte virum
 hunc ista momenta pertractasse, inde tantummodo eluce-
 re poterit, quod sulphuri flagranti & liquato similes effe-
 ctus pectori infensos adscribat, qui tamen satis a se invicem
 discrepant. Licet enim negare nullo modo velim, quod
 sulphur in copia accensum graviter pulmones laedat, siqui-
 dem tunc maxime mixtio ejus dissipatur, ut acidum corre-
 sivum juxta nativam suam qualitatem operari & sic, respi-
 rando intemodeste haustrum, varias pectoris afflictiones,
 imo ipsam mortem progignere possit, cuius rei exempla
 hinc inde prostant. Sed nec ex hac causa positive & sine
 discrimine noxious vapor accensi sulphuris reclamari debet,
 si moderate adhibeatur & tunc revera magnam famam ab
 antiquitate promeruit inter suffimigia teste HOMERO *Odyss.*
 22. sub finem; ubi anus sulphur & ignem suggerere jube-
 tur, ad factorem cadaverum ex domo Ulyssis abigendum,
 & sequentibus temporibus nunquam tacuit eadem famæ,
 quando fumum sulphuris tanquam pestis & inquinati aë-
 ris securum averruncum adhibuerunt. Magis innocuus
 vero est fumus, quando sulphur simplici fusione tractatur,
 tunc enim in minutis quidem moleculas dirimitur, & suc-
 cessive in aërem recipitur aliqua ejus portio sub forma flo-
 rum sulphuris, quod in officinis sulphurariis Goslarien-
 bus imprimis frequenter contingit. Si autem observatio-
 nes respicimus, nihil detrimenti operatores inde haurire,
 expertum est, nec etiam observare licet, quod talis regio

plures incolas vel phthisicos vel catarrhalibus aliisque per
etoris morbis afflictos alat, quam alia omni sulphure ca-
rens. Interea nemini obtrudam, quod revera pauciores
ibi sint tales, quam alibi, quia non omnes hoc verbum capi-
unt, licet ipsa veritas idem loquatur.

Objectio de
officinis sul-
phurariis
refutatur.

§. XXXIII. Prævideo interea objectionem quorundam, quod exteri, hujusmodi loca visentes, ægre tam
aerem ferant, & in ejusmodi laboratoriis sensibilem ti-
tillationem faucium & molestæ tussis provocationem ex-
periantur; sed simul probe perpendendum, quod juxta
effatum HIPPOCR., CELSI, aliorumque, omnis subita mu-
tatio aliquid incommodi inferat, licet in optimam partem
fuerit suscepta. Quando tamen penitus scrutamur suc-
cessum ulteriore, tunc ille adeo nihil mali involvit, ut
potius paucum dierum spatio bene adsuescant non modo, sed
eriam alia occasione catarrhales affectus cum connexa rau-
cedine hoc solo fumo per facile disjiciantur, & peccus præ-
servative eodem adminiculo a catarrhali invasione defendi
possit, id quod B. STAHLIUS in proprio corpore præter
expectationem expertus est, cuius exemplo postea plures
alii studio institerunt eodem exoptato successu.

Vapores
sulphurei
magis pro-
pter copiam
nocent.

§. XXXIV. Licet autem sic aerem ab alienis impu-
tationibus liberare studuerim, tamen supra dicta satis do-
cent, quod mea mens minime eo redeat, ut defendere
suscipiam, quasi hic sulphuris fumus absolute non nocere
possit; etenim notissimum est, quod omnia in mundo cer-
tis quibusdam respectibus & modis sint adnexa & quod
sulphuris vapor æque ac optimi suffitus balsamici, in clauso
loco copiosius collecti, aerem nimium attenuare, disten-
dere & suffocationem involvere queat, atque hoc ipsum
tanto magis contingit, quando sulphur combustione in
prin-

principia dissolvitur, ubi acidum impune rosivam virtutem celebrat & φλογεστο libere magis dispergitur, ut expansivam & summe rarefacientem efficaciam vegetius exercere possit.

§. XXXV. Cui igitur modus respirationis ordinariae cognitus est, quod nempe aer moderate consistens & elasticus sub activa thoracis expansione Physico gravitatis nisu intra pulmones descendat, ibidemque per omnia vesicularum diverticula distribuatur, & elastica sua potentia sanguinem ex dextro cordis ventriculo per eosdem pulmones ad sinistrum cordis antrum prorudere adjuvet, illi satis perspectum esse potest, quod aer, per copiosa inflammabilia activa corpuscula valde dissipatus, pulmones sub ingressu nec debite expandere, nec impulsum necessarium ramificationibus arteriarum pulmonalium impri- mere, nec subsequens iter sanguinis per venas ejusdem nominis ad cameram sinistram promovere possit. Denegato hac ratione necessario commeatu humoris vitalis per pulmones omnis ulterior progressus hujus fluoris cessat & sinistrum cordis cavum exinanitur, dextrum autem receptaculum cum faccias annexis ab effluente sanguine ad summum usque repletur, ut debilior haec muscularis fabrica tanto oneri resistendo impar sit, quare hic sanguis in statu plenariam abit, & vitae finis subsequitur. Quamvis autem aliis minime denegare velim, quod hujusmodi materia subtilissima, per motum igneum attenuata, etiam sub respiratione sanguini insinuari queat; magis tamen a sublata aeris debita densitate & elasticitate derivo, quia hujusmodi suffocatio non raro in similibus casibus cito contingit, quam sanguis agili hac materia adeo locupletari potest, ut in capite imprimis & corde summam expansionem

Modus
quo suffo-
care possunt
isti vapores.

nem ac mortiferam statim producere possit. Notissima hinc sunt observata de fovea Neapolitana, quam Dn. MISON sub titulo *Grotta del cane* descripsit, quod canes immisi in hunc locum momento suffocentur a vaporibus sulphureis turmatim eructantibus & sic aërem nimis quantum attenuantibus. Plures hujusmodi historicas relationes ex KIRCHERO, CARDANO &c. allegare possem, nisi scopo brevitatis insistere cogerer; quare unicam tantum recentissimam descriptionem cavernæ illius vaporifera sulphureæ in *Lapicidina Pyrmontana* huc trahere placet, quam Cel. D.D. SEIP in *Misc. Berol. Continuar. IV.* seu *Tom. V. 1737. p. 102. sqq.* prolixe recensuit. Quæ ex illa faciunt, in eo potissimum consistunt, quod aves, sub volatu ad hanc cavernam appropinquentes, illico mortuæ concidunt, accensa candela statim extinguatur, pulvis pyrius in fundo foveæ inflammari nequeat, & homines, aperto ore vaporem haurientes, subito suffocationem ad deliquium usque experiantur, eo ipso actu autem vel recedentes vel extracti mox rursus sui compotes fiant sine ullo perverso effectu. Ipse Dn. ATCT. de se testatur, quod haustum hujusmodi ore pando capiens & simul retrogradiens, idem senserit ac alii, nunquam autem se male habuerit, potius vero peccus & respirationem liberiorem senserit, interdum etiam hoc solo suffimento tusses, catarrhos, obstrunctiones catarrhales solverit & dissipaverit. Epiceris hujus Viri eo credit, quod aërem & respirationem tantum remoretur & auferat vapor exsurgens, nihil autem materialis noxæ in sanguine suo recondat.

§. XXXVI. Ex omnibus his dictis jam elucescit, quod illa persuasio quorundam fabulosa sit, quasi *dragones & basilisci* hujusmodi antris innidularentur, qui habitibus suis

suis mortiferis hominem præcipiti actu jugulare possunt:
 totum autem schema effectuum maxima similitudo experimen-
 torum cum *antlia pneumatica* adumbrare potest,
 quando animalibus qualibuscunque sub campana aër sub-
 trahitur, ubi pro gradu exantlationis vel ægerimè & asthi-
 maticè inter varias gesticulationes & volutationes respi-
 rant vel penitus expirant. In omnibus his subjectis sive
 hominum sive animalium, tali ratione interemtorum, idem
 fere sub *anatomica inquisitione* deprehenditur, quod etiam
 detegitur in illis, quibus carnifex sua enchiresi fauces con-
 strinxit ad plenariam usque anhelitus reclusionem, nempe
 exorbitans *repletio humorum* in dextro cordis latere, &
 totalis fere *depletio* sinistræ ejus cameræ cum collapsu va-
 forum annexorum, id quod omnigenam circuli vitalis de-
 sertionem non potuit non introducere. Tota hæc consi-
 deratio prope omnem explicationis nexum exhaustit in plu-
 rimis subitaneis mortibus, a variis hujusmodi aërem val-
 de *expandentibus materiis*, provocatis, quo spectant vapo-
 res musti & cerevisiæ fermentantis, in cella conclusi, qui
 candelas accensas mox extinguiunt & homines sub primo
 ingressu semimortuos prosternunt. Ad eandem pariter
 normam dijudicandus venit halitus vaporosus ex carboni-
 bus omnibus imprimis betulinis, nondum satis exustis,
 & humiliorem subcæruleam flammarum adhuc emittentibus
 (*vid. STAHL. Zymotecn. p. 119. Opus c.*) qui suffocationes
 vertiginoso-lipothymicas insidiosè prolicit. Subjungit
 judiciosus hic *VIR l.c.* sequentia, quæ optimo jure pro
 roboranda mea sententia huc ponere licebit; *quod videli-*
cet substantia inflammabilis per desagregationem subtilissime
expandatur, unde corpus flammans in spatio quantumvis

effectus ant-
 liæ, strangu-
 lationis &
 inflamma-
 bilum simi-
 lis est.

loco diu ardere non possit, sed mox ab his ipsis sui partibus ita expansis, comprimitur & suffocetur.

**Carbones
fossiles aë-
rem deni-
grare di-
cuntur.**

§. XXXVII. Simili atro carbone hinc inde notatur aër, carbonum fossilem fumis imprægnatus, & non raro graviter accusatur a plebe ignara non minus, quam pariter a viris eruditionis cultura alias satis excultis, unde etiam loca, quibus natura hujusmodi adparatum dedit pro supplenda indigentia lignorum, tanquam infamia exclamantur, eo quod aëris hisce inquinamentis pessimis defecetur. Magnum pondus justæ inculpationis hujusmodi viri præ se habere judicant, quando domos & arbores vicinas a crassis his fumis tenaciter commaculari vident, imo quando etiam ferramenta & utensilia metallica pedetentim inde exedi observant, unde tum ulterius concludunt, quod tanto facilius molliorem corporis humani texturam & imprimis teneram substantiam pulmonum erodere, inflammare & exulcerare possint.

**similitudo
inter met-
alla &c. ac
corpus vi-
vum clau-
dicat.**

§. XXXVIII. Speciosa est ratio hæc a physicis necessitatibus desumpta, quæ credulos facile ad assensum movere deberet, minime autem eos, qui fidam experientiam in subsidium trahunt, simulque *corpus animatum* a simplici mixto distinguunt, & considerant, quod acetum & spiritus acidos bene dilutos sine metu erosionis intra nos recipere possimus, a quibus tamen metalla effectum destructionis paterentur, simili fere ratione ac sulphur interne & externe sine noxa applicari potest, quod tamen omnia metalla prompte & argentum, eminus etiam constitutum, nigrore obducit; & quis est, qui non viderit, simplicem, & puram adeo aquam ferrum sensim in rubiginem transmutare.

§. XXXIX.

§. XXXIX. Quando autem quidam *arsenicalem* principia substantiam in hoc subiecto latitare ajunt, unde aër inquietur, tunc aperte testantur, quod experimentum rei non fecerint, sed tantum propriis opinionibus indulgeant. Benignus sentiunt, qui lithanthrases *sulphure* scatent & ex eodem fundamento aëris, hoc fumo repleti, noxas derivare student; sed nec hi chemicis experimentis genuinis suam superstruxere sententiam, juxta quæ certissimum est, quod per sublimationem ne vestigium quidem sulphuris in forma florum prodeat, licet ignis gradus ad summum fuerit adauctus. Maxima pars vero hujus inflammabilis subjecti est substantia bituminosa ex subterraneo apparatu in terram raram, spongiosam arcte & copiosissime collecta, & hinc etiam easdem plane qualitates possidet, quas bituminum reliquæ species monstrant, (*vid. Ill. HOFFMANN. Obs. Phys. Chym. XXIV.*) quoniam sub actu destillatorio eadem producta exhibet, nempe post pblegma spiritum aliqualiter sulphureum, quem subsequitur oleum primo subtile & successive crassius ac gravius, ubi tandem totum opus claudit ascensus *salis volatilis aciduli*, cum illo, quod ex succino paratur, maxime conveniens.

§. XL. Planum hinc est a priori, quod prorsus nihil insit, a quo directe & per se noxa expectari possit; potius vero talis mixtio propria est carbonibus nostris *subterraneis*, quæ sub combustione laudato modo aërem purificat & balsamica virtute irroratiisdem principiis, uti ab antiquissimis inde temporibus mos obtinuit, vitia aëris in morbis contagiosis aliisque inquinationibus putridis per varias bituminum species asphaltum, picem, sulphur, alia que resinosa subiecta emendandi. Tantum itaque abest, ut ulla digna ratio excogitari possit, quæ salubritatem car-

vera adstruntur.

salubrem
miscelam
possident,
carbones
subterr.

bonum fossilem infringat, ut potius majori fere jure quam sulphur balsamum pulmonum dici queat, quod non modo minantia pulmonum mala saepius avertere, sed etiam leviora curare & paulo graviora perpetuo inspirationis negotio & immediato discussorii & vulnerarii vaporis afflatus a citata corruptione munire potest, ut adeo medicamentosa virtute imbutus talis aer idem in hoc viscere suppleret possit, quod in externarum partium lesionibus topica discutientia & balsamica congrue adplicata. Horum utilitatem nullus negat, cur quae^o alterius praestantia dubia foret.

phthisis in
Anglia fre-
quens non
obstat.

§. XLI. Sed obstat videtur experientia, quando in Anglia testibus itinerariis, copiosi aequi carbones fossiles propter lignorum defectum comburuntur, atque simul dimidia fere hominum pars phthisi & peripneumonia jugulatur; ubi quidem utriusque asserti veritatem historicam negare non possumus, rejicere tamen utique debemus nexum illum, ut vocant *causalem*, quem communiter formant. Falsum enim esse, inde statim evinci potest, quod plebeja gens endemio huic malo raro exposita sit, cum tamen longe frequentissime hoc administriculum economicum usurpet, & ad carbones tales quasi ustuletur, sed semper vegete vivat. Quod si vero hujusmodi labem pulmonalem unice propemodum persentiscunt ditionis fortis homines, quilibet anthracum fumum commode aufugere possunt & scilicet; Quid hinc non magis naturalis Logica docet, quam, ut alias causas hujus morbi queramus, inter quas profecto non infima allegatur prodiga ingurgitatio potuum spirituorum. Quod si autem duabus tantum verbis omnes causas in compendium trahere debo, rotunde dico atque defendeo, quod *Luxus* & *Otium* omnem expleant paginam.

§. XLII.

§. XLII. Quando autem proxime observationes circa aërem nostrum Halensem consulimus, tunc prorsus nihil est, de quo conqueri quisquam posset; ipsi enim salis coctores in medio fumi ex his carbonibus degentes & crassa fuligine toti quanti obduiti, præ aliis hominibus integro sanitatis vigore fruuntur, & rarissime pectoris affectus tolerant, ac licet reliqui incolæ urbis, flante impensis Zephyro, fumum illorum molestum accusent, tamen incommoda sanitatis neutquam inde experiuntur. Confirmabunt hoc Viri ætate provectiones, quibus status urbis adhuc cognitus est, antequam carbones fossiles in usum fuere traxi, quod nempe comparate parcior morborum sit proventus nostris temporibus, quam prioribus. Insuper etiam assertorum veritatem de usu Halensis aëris ad pectoris vitia in specie magis confirmatum habebunt, qui infrequentiam phthisicorum æstimaverit ad alia loca, in quibus lithanthraces incogniti sunt. Cur vero pectoris labes frequentior sit, apud cives Academicos, id vitae generi sedentario præcipue tribuerit. Quando enim diu noctuque, præter consuetudinem priorum temporum, in museis libris affixi hærent, & quidem eo ætatis termino, quo consuetæ pectoris congestiones pulmones onerant, motus autem externus tanquam necessarium discussionis præsidium, deficit, non potest non labes illa pectoris provocari. Ex his itaque satis patet, quod vitæ genus ad sanitatis tutelam inimicum maxime accusandum veniat, & quod non absque causa irrita & præpropera illorum judicia declarari possint, qui in dissiris regionibus aërem hunc adeo vituperare audent, & ex hoc momento litterati ordinis civibus hanc Musarum sedem eligere audacter dissuadent, cum tamen hujusmodi consilia.

rii carbones nostros vel plane non viderint, vel tamen eorum indolem nunquam explorare suscepint, multo minus ipsas observationes phthisi succumbentium directo studio æquiparaverint cum aliis academiis, ubi studiosorum confluxus magnus itidem reperitur.

Tufa eadem defensionem metretur.

Salia in genere aërem inquinare dicuntur.

§. XLIII. Similis plane sententia obtinet de simili quodam subiecto glebarum seu cespitum bituminosorum, qui per Belgium, Ducatum Holsatiae &c. frequenter usurpantur, & ex superficie terrarum uodosarum bitumine tamen subterraneo repletissimarum depromuntur, siccantur & ignitionis causa venumdantur, sed quem modo dicta pro explicatione sufficere possint, superfluum judico præjudicia contra hoc subiectum obvia allegare.

§. XLIV. Porrò etiam inter adventitias aëris qualitates, variis injustis vituperationibus obnoxias, refero *salia*, quæ a nonnullis ubique fere obvia creduntur & tanquam rea multorum morbosorum effectuum in judicium vocantur. Sponte equidem fateor, quod salia non omnino potentia nocendi in corpore humano destituantur; tantum tamen nunquam subscribam, quod in multis locis copiosa seges morborum dyscrasiae & cachexiae, viscerum corruptio, ulcera, serum acre & salsum plorantia, a salibus, perauram vagantibus, & corporis penetralia ultra proportionem insultantibus, prima rudimenta derivet.

§. XLV. Quo vero distinctius procedamus palmaria *salium species* sub examen vocabimus, quarum ramenta aër uberioris in gremium suum recipere dicitur. Chorum in specie *sal.* inter has merito ducit *sal. vitriolicum* seu universale ac-vitriolicum. dum, quod in statu suo simplici disseminatio ubique fere præsens est, & ob hanc rariorem sui dissipationem nil minus quam humano corpori nocere potest. Quid vero de

de effluviis istis ex mineris Vitrioli sub varia ejus præparatione expectandum sit, non securius norunt, quam qui in locis degunt, ubi maxima abundantia hujus terræ salinæ eruitur, elixatur, purificatur, excoquitur & in crystallinam formam redigitur. Tradunt interim genuina historica documenta satis unanimiter, quod laboribus hisce occupati æque ac reliqui homines in istis locis habitantes bene ac vegete vivant, optimam humorum crasin possident, ac lacertosæ & succulentæ adpareant, dummodo famæ ipsos non premat. Certat pro hac sententia robora-
nda speciosum suffragium LANCISII de *Adv. Rom. Cel.*
qual. C. VII s. IV. p. 96. Sulphur, Vitriolum & Nitrum quibus præcipue terra nostra redundat, uræ campos fertilissimos reddere solent, similiter & cives robustissimos faciunt, colo-
nos semper servant incolumes; & MICH. MERCATUS in Metalloth. ubi præter plura alia de aëre in locis ubi calcane-
th terra in agro Romano foditur sequentia subnectit; tan-
zum abest, quod in subterraneis speluncis noxiūm vaporem
eructet, sicuti quotidiana docet experientia, ut potius effodi-
entium sanitati conducat. Non minus tota Goslaria, pro-
ventu Vitrioli ditissima ad partes nostras stat, Salisbur-
genses officinæ vitriolice testes sunt, & Anglia martialis
Vitrioli dispensatrix eandem veritatem loquitur, quod nec
minima adsit causa, cur aér, a copiosioribus vitriolicis ef-
fluviis imprægnatus, ad morbos generandos aptior recla-
mari debeat; siquidem homines in dictis locis habitantes
& laborantes firmius & constantius valent quam alii.

§. XLVI. Altera accusatio aëris saliti cadit in *nitro-*
jam substantiam, qualis quidem haud ita absolute, imo non aëris nitro-
ni nisi rarissime in aëre argui potest; Et licet in locis, ubi pu-
tredo ingruit, generetur, non tamen ideo aëri statim com-
mit.

mittitur, uti salia volatilia, quæ inde simul excluduntur; fixior enim longe est, & præterea cum terreo-limosis vel calcareis materiis copulam celebrat satis tenacem. Quando autem nihilominus radiorum solarium efficacia in officinis halotechnicis hujusmodi particulas nitrosi spiritus, ut plurimum debitam maturitatem nondum adeptas, suscipit, & per aërem dispergit, tunc maximopere hujusmodi homines, in ipsis officinis occupati præsumta incommoda pectoris & reliquæ sanitatis percipere deberent, cui tam omnes Halotechnæ in faciem contradicunt, unde etiam merito omnia reliqua prætermittimus, tanquam supervacanea, potissimum cum jam supra in scrutinio frigoris plura fuerint adducta.

immerita
ignominia
aëris ubi sal
comparatur

§. XLVII. Succedit in serie salium summopere uisitorum *sal culinare seu commune*, ob receptissimum usum ita dictum, atque *ex montibus, fontibus, maribus pettitum*, quod aërem suis exhalationibus morsicantibus, in locis ubi largus eorum adest proventus, replere & ex hypothesi corrosivum reddere debet in magnum sanitatis præjudicium. Sed quantum ab ludat a scopo hæc accusatio facile perspiciet, qui sedulo perpendit, quod hujusmodi *sal*, si etiam in *statu suo mixto* parce ad modum in aëre elevaretur, non aliter se gerere possit, quam reliqua *salia media*, de quibus tamen nemo externe aliam, quam abstergentem, purificantem & interne condientem ac solventem virtutem expectabit. Quando autem aliam magis probabilem viam quærimus, qua aër a sale communi inquinari possit, tunc rationi consonum est, quod hinc inde micula tantummodo acidi per coctionem vel aetavitatem solis ex imperfecta societate corporis alcalini dirimatur & simul in atmosphäram protrudatur, ubi tunc id

id agit, quod acidum valde dissipatum potest, id est, tantum quantum fere nihil.

§. XLVIII. Objiceret interim quispiam, cum illo Medico Cerviensi Italiae in Epist. ad Ramazz. data, quod tam in illa civitate, ac illius salinis oër spiritibus corrosivis adeo sit saturatus, ut ferrum arrodat, quod paulatim cera instar emollefcit, & in pulverem fatiscit, operarii feve omnes sint cachectici, hydropici & sordidas plagas in cruribus gestent, atque hujus Viri vestigiis bona fide insistit laudatus noster RAMAZZINI C. XXVIII. de Morb. Opif. Quis jam immerito eandem suspicionem foveret, de aliis locis, ubi sal commune excoquitur, quum non minus, quam illic ferrum exeditur & acidum salis communis potissimum partes corporis nostri citius ac fortius, quam aliud acidum aggreditur & destruit, & cur hinc non metueret quisque adeo infensum hostem in aëre delitescentem. Sed quam inadæquatum & frustaneum prius sit momentum probans, suprajam declaratum est; alterum vero ex hoc solo fundamento cadit, quod alcali salis communis suum acidum ligans per simplicem coctionem non ita prompte & largiter dimittat, cum etiam fortior ustulatio ad candescentiam usque vix operæ pretium abradere possit, nisi forte acidum potentius accedat, & illud liberet. Quod si etiam revera tanta copia de acido salis nostri in aëre vagaretur, quanta pro rodendis metallis & humoribus ad summum acorem redigendis sufficeret, tunc profecto secure asseverari potest, quod externæ partes & imprimis pulmones, aërem hunc causticum copiose admittentes, & extrudentes, eandem violentam rosionem & consequentes perniciosos effectus longe citius experiri deberent, quam sanguis in interioribus conclusus; ad quem adeo liberum

& immediatum accessum non habent, cum tamen hujusmodi effectus nullibi in salinis contingent, nec a genuinis scriptoribus allegentur.

voracitas
&c. causa
morbi est
apud Cervi-
enses.

§. XLIX. Regereret autem alius non sine specie veri, quod nihilominus in universum fere laboratores in Cer-
vise officinis recensitos morbos patientur, adeo ut etiam nonnisi peregrinus remediorum deprehendatur effectus. Sed quis quæsio a dubitatione liberabit nexum illum inter effectum & causam allegatam; etenim in citata epistola isti homines *summopere voraces & bibaces* declamantur, ut nunquam saturentur, atque sèpius repentinae mortes subeant; unde justa præsumtio incidit, quod insatiabilis ingestio ci-
bi, potusque potissimum ex perversa consuetudinis ratio-
ne & nimio gulæ indultu proveniat, ut adeo potius ceu
causa morborum effectuum, quam symptomata totius re-
liqui schematis morbidi considerari debeat. Quod si enim juxta tradita communia ab acido salis spiritu, stomachi fermentum acuente, ortum ejus deducere quisquam ve-
lit, plane naturalis consecutio foret, quod idem effectus proximus cum connexis reliquis etiam deprehendi debe-
ret in omnibus locis, ubi sal paratur. Sed obstant exempla contraria locorum prope omnium, ubi salis coctura ex-
ercetur in Ducatu Placentino, Comitatu Tyrolensi, Bava-
ria, Franconia, Saxonia omni & specialissime Halæ Mag-
deburgicæ & Suevicæ, quam ultimam Dissertat. Altiori
habita, de voletudine salis coctorum ab omni mala nota vin-
dicavit. Eandem tandem innocuam halitum salino-aquo-
forum qualitatem pariter defendit urbs Veneta in ipso A-
driatico mari sita, & sub exhalantibus semper salinis efflu-
viis, satis salubri tamen cælo gaudens, cuius elogia prolixe descriptis in pec. Tract. LUDOV. TESTI cel. Pr. Venetus.

§. L

§. L. Quemadmodum autem non pauci modo re-
censtas & plures alias præjudicatas opiniones sollicite in
animo fovent, & sic aërem quorundam locorum ad sani-
tatis tutelam valde contrarium declarant: ita factum est,
ut hinc inde variis subsidiis emendationem atmosphæræ
suæ susceperint. Quoniam vero illam plenariam corre-
ctionem non ita ad luditum obtineri posse videruat, siqui-
dem experientia ipsos docuit, quod valetudinarii laute vi-
ventes & studiis vel otio indulgentes raro & difficillime
ex hoc suo statu rursus emergant; hinc plurimorum vota
eo rediere, ut suaderent, mutanda esse loca, & aërem
quærendum puriorem, desecatiorem, adeoque sanitati
convenientiorem. *Orta hinc sunt itinera sanitatis causa
commendata:* ortus hinc est scrupulosus selectus locorum
& regionum: sed ortus hinc etiam ingens de hac re me-
dicorum dissensus; etenim quilibet facile perspicere pot-
est, quod consilia ex erronea persuasione prognata non
semper ad conceptæ hypothesis normam succedere pos-
sint, sed frequenter effectus contrarius formatam spem fal-
lere debeat.

mutatio lo-
corum ut-
plurimum
ex fonte
præjudicii
suadetur.

§. LI. Operæ pretium hinc erit, ut ad observatio-
nes trentos oculos dirigamus, & ex illarum judicio saæsti-
matione transitum ad veritatem eruendam scrutemur.
Quando itaque homines, infirma valetudine diu confli-
ctantes, suasū Medici aërem mutare debent, tunc non ra-
ro *itinera longa* & loca remotiora ad sanitatem maxime ce-
lebria commendantur, quæ non nisi sub varia molestia &
multo labore visitari possunt, ubi tunc mox levamen nota-
bile variorum symptomatum, virium corporis augmen-
tum, animi majorem præsentiam & alacritatem experien-
tur, qui status exoptatus etiam ad nutum continuabit,

quando in loco determinato ad varia corporis exercitia ante inadsueta & mentis varia oblectamenta ducuntur. Quum vero illi ipsi homines in eodem loco diutius commorantes in pristinum vitae genus immobile, sedentarium & meditabundum rursus se immergunt, pristina etiam querelarum scena denuo se aperiet, & elogia bonitatis aëris mox trepida voce interruptur.

Observat.
II.

§. LII. Contingit porro non adeo raro, ut chronicō sedentariorum morbo vexatos vel muneric leges, vel Medicum consilium vel alia necessitas adigat, per loca ad sanitatem alias valde *suspecta iter faciendi satis laboriosum*, ubi tamen, si eventus consulitur, turbæ illæ sanitatis antea obviæ sensim evanescunt, non minus ac si in *saluberrimo aere* inter esset institutum. Id ipsum præter alia quotidie audimus & experimur, quando homines ex neglegētu motus voluntarii in suspectum languorem & internorum motuum irregularitatem conjecti, castra sequi debent, & via ibi negotia currendo, equitando, aliquoq[ue] defatigatio[n] modo subire debent, sani & robusti evadunt; cum vicissim composito bello vitae priori quietæ de novo se tradunt & cuticulam curare incipiunt, non diu in acquisito robore manebunt, sed morbosæ invasiones satis mature corpori pristinas insidias struent.

Observat.
III.

§. LIII. Quando etiam scopo Medico itinera instituuntur ad loca *non procul* a fede queruli ægri distantia, propter singularem tamen aëris puritatem & salubritatem selecta, tunc revera tantum non experietur levaininis, ut operæ pretium esse posset, imo si etiam *confuetis speculationibus & immodeste quieti amplius serio indulget*, in pejus sensim ruet caduca sanitas ac laudatissima aëris fama nullam redintegrationem promittere poterit, nisi forte quies cum laboriosis conatibus commutetur. Prouti ve-

ro

ro certissimum est, quod hoc solum moderamen sub flu-
tuante adhuc malo infallibile auxilium afferre possit: ita
pariter extra omne dubium est, quod si in priori loco ad
sanitatem minus astimato eadem vitae regula obseretur,
simil etiam inconcussa sanitas introducatur.

§. LIV. Cui itaque ex hac tenus dictis vera causa sanitas ex
non palpabilis evaderet, quando omnes circumstantiae, fonte mo-
quæ mere physico considerandi modo aëris maximam salubri-
tatem involvere deberent, nihilominus illam ipso effectu
neutiquam promovent, nisi debitus voluntarius motus,
tanquam maximum valetudiniorum remedium, acce-
dat; cum ex altera parte omni exceptione major veritas
sit, quod sola exercitatio corporis sine singulari selectu &
respectu ad loca homines diu male vexatos feliciter in in-
tegrum restituere & alios viscerum obsfirmatis nœvis mox
jugulandos, non raro per plures annos conservare possit.
Certe licet Davi judices hujus discriminis forent, tamen
ex prona necessitate illico sententiam ferrent, quod mo-
bili vita palmaria efficacia sit adscribenda pro fana & ve-
geta corporis consistentia recuperanda, prout etiam ad
conservandam eandem unicum verum & universale ad-
miniculum est. Quis enim unquam rusticos vel laborio-
so generi deditos ex interna tacita causa languentes vide-
bit, nisi forte nimium angusta supplex vel alia ab extra
accedens & violenter operans causa ipsorum robustos la-
certos, valida membra & inadvertentiam ad res, quæ
diætam ordinarie concernunt, quandoque infringat. Ri-
dent potius hujusmodi homines omnem scrupulosum a-
ëris selectum & in stabulis, pecorum fimo crasse perfu-
matis optime vegeti vivunt, multo minus tot & tanta in-
commoda sanitatis persentient, quibus magnates, in pa-
latiis, pro sanitatis moderamine artificiose adaptatis, ob-
noxii sunt, & quibus studiis strenue incumbentes, in sa-
luberrimis licet locis & optimo aëre perspirabilibus mu-
sæis identidem vexantur.

exceptio
ponitur, ac
removetur.

§. LV. Quando autem quidam per instantiam op-
poneret, quod nihilominus reperiantur, qui studiis diu
noctuque vacant, & tamen hujusmodi communes mole-
stias non experiantur, tunc exceptio vim regulæ non tol-
lit & centum ac mille exempla contra unum alterum ve-
semper prævalebunt. Interim, si dicendum quod res est,
hujusmodi homines peculiarem *benigni temperamenti mi-*
scelam possidere debent, quam etiam vigilans affectuum
refrenatio cibi potusque prudens moderamen, aliaque su-
stentare oportet. De illis autem hic plane sermo non
est, qui medium inter quietem & motum obtinent, ac
quotidie motus necessarium exercitium administrant, at-
que sic ex usu didicerunt, illud AVICENNÆ, quod *exerciti-*
um membra magnificet, & quod juxta CELSUM Lib I. cap. II.
ignavia ad motum corporis scilicet maturam senectatem, la-
bor longam adolescentiam reddat.

motus quo-
modo sani-
tatem pro-
moveat.

§. LVI. Quodsi vero etiam horum successuum cau-
sam indagare volupe fuerit, rationes satis prægnantes de-
prehendentur in administratione internorum corporis
nostrorum motuum fundate; notissimum siquidem est, quod to-
ta vita nostra motibus absolvatur, hi vero magnopere sub-
leventur per motus voluntarii legitimam observationem;
per hanc enim non modo partes fibroso-musculosæ in de-
bito vigore & mobilitate conservantur, sed etiam sanguis
sub activa fibrarum contractione partes percurrens, con-
quassatur, dirimitur & impetu citatoris progressus in-
struitur. Hujusmodi notabilis attenuatio humorum, tum
etiam visceribus abdominalibus maxime favet, quoniam
ut plurimum laxior eorum textura transpulsum sanguinem
arteriosum retardat, & refluxum pervenas difficiliorem
redit, id quod eo magis contingere, quando sub dese-
ctu motus externi lente progrediens sanguis etiam sic ad
spissitudinem disponitur, unde varias stagnationes, opple-
tiones, infarctus aliasque perversos effectus resultare in a-
prico est, qui innumeris fere hypochondriacorum mole-
stiis

stis manifestantur. Est itaque sub omnibus hisce modo
recentis consiliis unicum subsidium motus, a plurimis
ad hoc incognitum, a paucis tamen per stratagem quasi
obtinendum subsidium, per quod pretiosissimus vitæ the-
saurus sanitas optime conservari & reparari poterit usque
dum terminus ultimus, a Creatore constitutus, fuerit im-
pletus, atque ingruat inevitabilis vitæ

F I N I S.

V I R O
IVVENI EXIMIE DOCTO
DOMINO CANDIDATO
IOANNI VSENBENTZ,
MULTAM PRECATVR FELICITATEM
IO. IVNCKER.

A Eris prauæ qualitates quamquam ad morbos
generandos multcum valeant, & qualibet tem-
pestatum mutationes, quæ per annum contin-
gunt, adflictiones quasi proprias adferre obseruen-
tur: Tamen, CANDIDATE nobilissime, de qui-
busdam circa aërem, præjudiciis disputare, & spatio
illius immenso limites medicos ponere nullus dubi-
tas. Neque sine prægnantibus caussis: experientia
enim iam edoctus es, longe plures morbos apud il-
los reperiri, qui per fortis suæ blandam conditio-
nem aura benigna fruuntur, quam qui quaslibet aë-
ris

ris iniurias, vt nebulas, vt plurias, vt procellas per-
ferre, impurasque casas habitare debent. Nostri por-
ro quam optime, plurimos morbos a caussis internis,
pauciores ab externis dependere. Quare vulgarem
pathologiam, quae nimium in aere piscatur, merito
reprehendis, & piscatum in mari, scilicet microcos-
mico, iudicas congruentiorem. Etenim in ipso ho-
mine agnoscis praestantissimum sanitatis phylacteri-
um, cuius beneficio efficiatur, vt morbi aerei paucio-
res occupare possint; vbi cumque autem hoc vitale
præsidium langueat, ibi res demum externas, aërem,
cibum, potum, reliqua, iniurias suas exercere sanita-
temque laderet posse. Gratulor Tibi, CANDIDA-
TE clarissime, quod adeo discrete de hoc argumen-
to scribere potuisti; & vere gratulor, quod præti-
cam illius utilitatem iam prægustasti. Quoad enim
apud nos commoratus es, non tantum solida medici-
nae fundamenta posuisti, sed etiam per tres fere an-
nos in nosocomio orphanorum manum mihi thera-
pevticam commodafti. Sic prosperatus in patriam
redis, & quia diuinum Numen, quod pie hic deueri-
tus es, Tecum facit, vltiori, vt spero & voueo, ac-
cumulaberis prosperitate. Vale! D. d. VIII.

Calend. Septbr. MDCCXXXVII.



01 A 6505



nur 10. Stet FA-70C
Bücher verkaugt

VDR



7.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS
NONNULLA
PRAEJUDICIA
CIRCA AEREM,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiosae Facultatis Medicae,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E
PRORECTORIE MAGNIFICO

DN. D. MICHAEL ALBERTI
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-

SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequenda

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVIL
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXXXVII. D. AUGUST.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

AUCTOR DEFENSURUS
JOHANNES USENBENZ,
ULMA-SUEVUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.